



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 5. An ita Persona divina valorem operum augeat, ac
auget gratia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

RATIO: quia unum, non est extensivè coæquabile cum duobus, vel pluribus. Quia hoc ipso, illa non essent plura, siquidem non plus haberent præ uno, ut fieret, casu quo unum, coæquabile esset duobus. Ergo etiam, unus actus infinitus, infinitate increata, non est extensivè æquabilis cum pluribus extensivè præmiis dignis, eadem dignitate increata. Quod innui de tribus infinitudinibus relativis, ut intelligatur.

INFERES 4. Si non dentur tres infinitudines relativæ, non erit etiam extensivè major infinitudo præmi, tres uniones hypostaticæ, præ uno merito Theandrico.

RATIO, quia jam destrueretur ratio, infinitudinis extensivæ, fundativa, cum nulla jam esset extensiva infinitudo, hæc enim non apparet, unde peteretur, nisi ex infinitudinibus relativis; & tamen debet ostendi fundamentum illius extensivæ infinitudinis.

DICES. Si poneretur una numero albedo, in pluribus subjectis, essent plura extensivè alba. Ergo & essent tres v. g. uniones, majus extensivè præmium, quantumvis una infinitudine infinitarentur illæ uniones.

RESPONDETUR. Sicut illic plurificaretur album, in ratione subjecti, non plurificarentur tamen albedines, nec essent capaces extensionis, ita & in præsentī plurificaretur præmium, sed ipsæ infinitudines non plurificarentur, quod solum in præsentī intendit illatum, possitque concedi, esse plura extensivè præmia, idque eo casu infinita, sed non plures extensivè infinitudines præmi: quia ad priorem illam propositionem verificandam, sufficit subjectorum ejusdē infinitudinis multiplicatio, cum præmium infinitum, in recto importet ipsum illud præmium, in obliquo autem infinitudinem, & tamen illud rectum supponitur multiplicari, ad verificandam autem secundam propositionem, est necessarium multiplicari, etiam ipsas infinitudines, quæ non multiplicantur, ex eo autem esset necessarium, ipsas infinitudines multiplicari, quia ipsæ illæ, & non subjecta illarum jam tunc importantur.

INFERATUR 5. Si nomine præmi, excedentis extensivè unum meritum, intelligas, quod nihil sit in illo merito, quod æquivaleret illi extensioni, in isto sensu, plures uniones hypostaticæ, non sunt extensivè majus præmium unius actus Christi.

RATIO. Tum quia una persona, licet extensivè, non sit duæ personæ, tamen æquivaleret duabus personis. Ergo etiam unum meritum, licet extensivè non sit plura merita, æquivaleret pluribus meritis, mereturque plura præmia. Ergo plura præmia, respectu illius, non erunt præmia excedentia extensivè, extensione in uno merito æquivalenter non inclusa, antecedens fundatur in principiis fidei, & in Athanasio censente, in Trinitate nihil esse majus, aut minus; minus autem esset, si una persona non æquivaleret ex-

tensionī duarum, exprimit hoc August. lib. 6. de Trinit. *Tanta est una Persona, quantum tres simul sunt, nec plus aliquid sunt duæ quàm una, quia singule sunt in singulis, omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

Tum quia si unus idemque calor replicetur, & ponatur in pluribus subjectis, tunc unus calor in loco A, non erit extensivè minor, calore eodem in loco B. C. D. quia idem est realiter. Ergo etiam, & perfectio unius actus Theandrici, non erit minor extensivè plurium unionū perfectione, spectatarum quoad principium dignificans. Tum quia, quando est eadem ratio formalis, in pluribus, dignificandi, ac in uno, plura non possunt esse digniora uno, esset enim pluralitas digni, sine plurificatione dignitatis, & tamen sicut non potest esse aliquid dignum sine dignitate, sic nec pluries dignificatum, sine pluries dignificante, quod ipsum ulterius in hoc fundatur, quia ad hoc, ut aliquid dicatur superari ab alio, debet nec æquivalenter illud continere; nam excessus infert, ut hoc non habeatur in excessu, quod continet excedens; si autem excessum, continet æquivalenter, quod habet excedens, quæ jam est excessum? perfectio autem divinitatis deponit, ut una persona, dignitate, æquivaleret duabus.

DICES cum Amico. Alium numero valorem personalem communicari uni unioni, & alium alteri. Ergo plures uniones, erunt extensivè majus præmium.

RESPONDETUR hoc argumento, probari illatum tertium, sed non infringi hoc, quod valor, tribuitur pluribus unionibus, æquivalenter non continetur, in uno merito Theandrico, vel una unionē.

Punctum Difficultatis 5.

*An ita Persona divina valorem operum au-
geat, ac augeat gratia?*

CONTRA infinitudinem meritorum Christi, argui solet à pari. Non, quod subjectum est dignius, dignitate gratiæ habitualis, eo opera illius, sunt digniora. Ergo neque quo dignior est Persona infinita divina, eo digniora erunt merita illius Personæ. Ut hoc argumentum solvatur.

DICENDUM est. Non hoc ipso, quia major est gratia, est majus meritum, consequenter, attendendo ad titulum, non ita crescit dignitas operis à persona infinita, sicut crescit dignitas operis, à majori gratia, est conclusio Vasquez, Medina, Cabrera, Lorca, Zumel, Gerson, favet Scotus. Contra Cajetanum, Suarez, Valentiam & multos alios, & contra Ripaldam, disp. 81.

PROBATUR 1. Quia pro nostra sententia, stat argumentum negativum. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, consequenter nec multiplicanda dignificativa, nulla autem necessitas est, & nullum fundamentum asse-

rendi, quòd, quò major est gratia, eò debeat esse major dignitas operis.

PROBATUR 2. Quia, si quò major est gratia, eò magis dignificat opus, non posset minor sanctus, æqualiter promereri cum magis sancto; sed potest, ut docet ipsemet Lugo, saltemque id non repugnat; nec est ratio, quò defacto non contingat: casu scilicet, quo actus intensiores, & cum majori gratiosa applicatione eliciantur. Major probatur, quando quis non habet principium æquale dignificativum operis, non potest æqualiter dignum opus facere, adeoque æqualiter mereri; quia aliàs, illa dignitas operis, quæ est quasi effectus, haberetur sine sua causa, seu principio: major enim gratia, per te, est principium magis dignificans, minor minus.

Addo, quamvis, intensior actus fiat à filio Dei non adoptivo, scilicet conterente se primum à mortali, quàm à filio Dei adoptivo; non potest nihilominus, non adoptivus filius, condignè mereri vitam æternam: quia non habet principium condigni meriti, est item possibile, ut Christus non ex toto habitu operetur; demus ergo, illum operari ex habitu, ut unum, & sanctum operari ex habitu ut mille, nihilominus ille actus, non potest esse æquè dignus, ac est actus Christi; quia desideratur in actu Sancti, principium dignificativum tale, ac habet Christus, & hæc probant, sine principio dignificante æquali, non posse actum elici æquè dignum.

RESPONDEBIS suppleri illam dignitatem aliunde posse.

CONTRA est; Ergo jam concedis, quòd non sit universale principium, majorandi merita, major gratia habitualis.

PROBATUR 3. Quia allato argumento afferri potest legitima disparitas, quæ sic proponitur. Tunc dignitas operis crescit, pro dignitate personæ, quando totam suam dignitatem, persona operans, refundit in actum; quia verò, totam suam dignitatem, Persona Christi refundebat in actus, & non totam semper dignitatem refundit, persona dignificata per gratiam, in sua opera, fit, ut non semper, secundum dignitatem gratiæ, crescat dignitas actus. Porro quòd non semper, totam suam dignitatem refundat gratia in actum, totam autem Persona VERBI, hoc inde est; quia dignificatio actuum profecta à Persona VERBI, erat dignificatio per modum termini, suppositi, & personæ physicæ, quod si sub illa ratione, erat ratio dignificandi operationes; non poterat plus vel minus dignificare: neque enim plus, vel minus, persona est persona, aut plus vel minus terminat naturam; à qua terminatione, tota dignitas in opera refundebatur; sicut non minus est opus hominis, hæc, quam illa operatio: quia non minus hæc, quàm illa, proficiscitur ab homine; jam autem dignificatio actuum nostrorum, fit à gratia habituali, applicante se, & impendente plus minus; si est ex ap-

plicatione majori vel minori, sicut applicatio non est æqualis, ita nec dignificatio.

OBJICITUR 1. Valor operis, non solum sumitur à bonitate operis, sed etiam à gratia habituali. Ergo sicut, crescente bonitate operis, crescit valor, sic crescente gratiâ, debet esse major valor.

RESPONDETUR. Valorem operis, sumi à gratia habituali, non secundum esse, quod habet spectata; sed secundum modum concurrenti, & applicandi se ad actum, qui non est semper æqualis; sive ille modus concurrenti sit physicus, sive moralis.

OBJICIT 2. Lugo disp. 6. Sect. 2. Gratia, in tantum conducit ad valorem operis, in quantum facit, quòd opus illud, sit opus personæ excellentis, ex hoc enim fit, præmium operis, debere esse excellens præmium, ut sit præmium æstimabile, in ordine ad illam personam; major autem gratia constituit personam excellentiorem.

RESPONDETUR. Quòd gratia dignificet opus, faciundo illud esse personam excellentis, si cætera sint paria, inter hæc autem quæ debent esse paria, est applicatio totalis gratiæ, in ordine ad operandum.

OBJICIT 3. Aldrete. Gratia habitualis facit, ut opus, quòd non erat de congruo, sit de congruo; ergo & major gratia habitualis elevat opus, ut promereatur, cæteris paribus, majus præmium. Antecedens probatur. Quia merebantur Patres antiqui, in gratia constituti, unionem hypostaticam de congruo, quàm non fuissent meriti, si eandem actionem posuissent in mortali.

RESPONDETUR. Si cæteris paribus, non nisi à majori gratia, magis dignificatur opus, ergo non simpliciter verum est, à majori gratia, majorari illud quòd solum vult Conclusio. Paritas non tenet, quia, cum meritum de congruo, in præsentia, sit formalitas & denominatio oriunda, ex suppositione Esse in gratia, si illud desit, nec erit meritum supernaturale: ita tamen, ut ad hoc sufficiat, vel unus gradus gratiæ; adhuc enim salvabitur hæc propositio: est constitutus in gratia. Neque potest intelligi hæc constitutio esse in gratia, fieri ex majori, vel minori applicatione gratiæ, ad constituendum illud esse; sed id in indivisibili consistit; tanquam verificativum hujus propositionis: est in gratia. Jam autem, formalitas majoris meriti, non est denominatio ex sola suppositione majoris gratiæ procedens, potestque intelligi, ad meritum major vel minor gratiæ applicatio, adeoque intelligi potest, cum majori gratia, minus meritum.

OBJICIT 4. Idem, auctoritatem S. Thomæ in 2. dist. 29. q. 1. a. 4. Actum tantò esse magis meritorium, quantò majori gratiâ informatur, idemque habet dist. 27. q. 1.

RESPONDETUR. Intelligendum esse S. Thomam,

mani, quod doceat id verum esse tunc, quando quis utitur habitu, secundum omnes vires habitus.

OBJICIT 5. Ripalda præter jam soluta. Gratia habitualis est pars essentialis valoris, crescens autem perfectione alicujus partis essentialis, non potest non crescere essentialis perfectio compositi; sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.

RESPONDETUR. Quod gratia habitualis sit pars essentialis valoris, sed non desumibilis, nisi ex majori vel minori ejusdem applicatione; concurretque gratia, ad formalitatem condigni indivisibiliter, sed non ad formalitatem valoris. Sic æquæ est pars, unum alteri uni, quam unum centum, alteri centum, quia in ratione paritas, debet esse indivisibilitas, licet in ratione valoris, majus sint duo centum, quam duo unum; idque ex eo, quia unum, quod est principium numeri, magis & pluries se applicat ad ducenta, quam ad duo. Ita & in præfenti.

INSTAT 1. Ripalda. Ipse Aristoteles, ex majori satisfaciendi dignitate, arguit dignitatem satisfactionis. Ergo idem dicendum de actione meritoria.

RESPONDETUR. Aristotelem loqui de satisfaciendi, cujus dignitas non suscipit magis vel minus, in sui applicatione ad dignificandum.

INSTAT 2. Scriptura significat, cariora esse Deo, quæ sancti majores Deo offerunt.

RESPONDETUR. Quia supponuntur ex tota latitudine, & majori habitus intensione, Sancti illi operari.

INSTAT 3. Quia hoc videtur esse damnatum in Bajo.

RESPONDETUR quod non. Sed hoc damnatum, quod docuerit, infinitum esse valorem obedientiæ Christi, & humilitatis, non autem justitiæ & temperantiæ, quod nos non docemus. Unde hæc major, Personæ operantis sublimitas, in opere bono, non auget rationem meriti, nisi quantum auget rationem virtutis & boni, in tantum damnatur, quatenus extenditur, utpote universalis, etiam ad Christum; quod nos non docemus.

OBJICIT 6. idem. Opera bonitatis finitæ, in Christo sunt meriti infiniti, quia procedunt à gratia infinita; Ergo illa merita sunt majora, quæ procedunt à majori gratia.

RESPONDETUR. Negando, ex eo illa merita esse infinita; sed quia dignificantur à Persona infinita, quæ non potest se magis vel minus applicare, ad dignificandum.

INSTAT 1. Licet voluntas posset limitare concursum efficientem habitus, non potest tamen formalem; Ergo major gratia magis dignificat opus.

RESPONDETUR. Non posse quidem limitare voluntatem concursum formalem; sed nego,

concursum formalem esse dignificativum præcisè; quod etiam agnoscit Ripalda, n. 34.

INSTAT 2. Si res sit, de influxu quasi activo gratiæ, nec hypostasis VERBI, nec gratia, influunt immediatè in opera virtutum, sed mediis virtutibus; & in hoc pares sunt, gratia & hypostasis; si autem sit influxus alius, tunc gratia præstat illum secundum se totam.

RESPONDETUR. Præstat quidem, secundum se totam, quia verificatur hæc propositio: hoc opus licet parvum, & licet non intense factum, proficitur ab homine dignificato gratiâ magnâ; sed non in ordine, ad dignificandum moraliter opus: quia hæc dignificatio habetur à majori applicatione gratiæ, quam facit medio habitu, vel magis cooperando actuali auxilio.

INSTAT 3. Justus ut quatuor eliciat actum intensum ut octo, & justus ut octo eliciat actum in eadem intensione, actus elicitus à justo ut octo erit magis meritorius, quam actus elicitus à justo ut quatuor.

RESPONDETUR. Negando, præcisè plus mereri illum justum, licet ratione aliorum antecedentium meritorum, quibus acquisivit gratiam ut octo, magis sit præmiandus.

OBJICIT 7. idem. Parentibus & amicis, gratiora sunt obsequia filii, & amici, quam servi, & apud Rempub. opera nobilis quam ignobilis, & apud Deum opera magis sancti.

RESPONDETUR. Quoad priores duos, non esse universaliter antecedens verum; si enim patri porrigat cingulum filius, & servus faciat emolumentum millionis, melius est obsequium servi: idemque dicendum de obsequio nobilis, comparato ad obsequium ignobilis; forteque dignitas, in his moralibus, habet se indivisibiliter, hinc non mirum si aliter se habeat, quam se habeant opera sancti, licet, in his ipsis moralibus, aliunde hæc dignitas æquari possit.

DIFFICULTAS IV.

Comparatur infinitudo meritorum Theandricorum cum infinitate peccati.

Comparationes aliquot institui possunt.

Punctum Difficultatis 1.

Instituitur Comparatio cum Peccatis quæ dantur.

QUÆRITUR. An sit altioris ordinis infinitudo operum Christi, quam peccati?

ASSERO 1. Altioris ordinis esse infinitatem meritorum Christi, quam peccati. Est assertum contra Medinam, & contra eos, qui dignitatem satisfactioni Christi ex præcisa acceptione Dei tribuunt, est autem Suarii hæc dis. 4. Sect. 3. & Amici dis. 6. Sect. 1.

RATIO: Autoritas S. Pauli ad Rom. 5. Non sicut

*h 3